



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

Exegesis Euangelij Ioannis X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

Math. 15.
Ioan. 7. 8.

Obedientia
vt sit vnica ad
salutem via.
Luc. 1.

Actor. 2.

Sanctos scire
quicquid a-
gitur in crea-
turis.

Orare San-
ctos pro
nobis.

Manuum im-
positio quid
insinuet.

Esai. 14.
Genes. 3.

ne constantiores, charitate excellentiores. Et quamuis tales actanti essent, tamen missi libenter obtemperarunt, nec inde consequens sit eos minoris fuisse: alioqui dicitur ex impijssimi Arrii sententia etiam Filius Patre minor, eo quod se Filius à Patre missum dicat. Obedientiam ad sui magistri exemplum præclarissimi Apostoli declarare voluerunt, vt discat omnitero subdere se maioribus suis, quando illi obedierunt etiam suis coapostolis, quibus tamen omnibus ab ipso Christo Petrus prælatus erat. Nemo si fallat: vnica ad beatitudinem via est submissa obedientia, qua se homo homini subiecit propter Deum, imitans redemptorem suum, qui non solum Deo vsque ad mortem, sed & Virgini matri ac patri putatio obediuit. Si dicat superbus hæreticus. Quis me cogit subditum esse homini, cum vnus habeamus Patrem & magistrum in caelis? dicamus illi: Quis Christum cogit subditum esse simplici virgini, & fabro lignario? Christus submitte se homini, & homo vanissimus non vult subijci superioribus suis? Porro cum venissent Petrus & Ioannes Samariam, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum uenerat in signo visibili, sicut in Apostolos, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Orant Apostoli adhuc mortali carne circumdati, & impetrant à Iesu Spiritum sanctum, & dubitare quis audeat iam cum Christo regnantes, nõ magis efficacius pro alijs orare possent? Sed nesciunt, vt ait Hæreticus, quid agatur apud homines. Imo verò hæreticus insanus, nescit quid dicat. Ignorant ne aliquid possint, qui Deum, in quo cuncta ceu speculo relucunt, conspiciunt? Ergo sancti omnes ex Dei contemplatione facillimè nõrunt quicquid agitur in creaturis, & pro sua erga nos ardentissima charitate libenter orant pro nobis: & quia Deo coniunctissimi sunt, oratio eorum efficacissima est. Denique Apostoli cum orassent, etiam manus imposuerunt Samaritanis, atque ita accipiebant Spiritum sanctum. Manuum impositio in veteri iuxta ac nouo Testamento legitur, nec certo mysterio & occulta operatione vacauit. Hodie episcopi eis quos sacris iniciant, manus imponunt, nec ambigitur, quin & ipsi accipiant Spiritum sanctum, si tamen conscientiam habeant à mortiferis peccatis immunem. Possent hic quædam dici contra hæreticos, qui sacramentum ordinis penitus reiiciunt, sed stultum est cum furiosis & insanis contendere.

EXEGESIS EVANGELII IN EADEM
solemnitate Ioannis decimo.

IN hoc Euangelio simplicibus Dominus verbis utitur more suo, sed quæ scateant mysterijs, ac spiritalibus sint grauida intelligentijs. Humiliter magister vbique humilitatem verbis factisque commendat, sed quanto humilior est eius oratio, quantoque facta simpliciora, eo magis altissimis sunt grauida sacramentis. O humilitas virtus Christi. Vbique reuertitur superbia nostra, vbique diaboli erecta ceruix præmitur, & sicut tam diabolus, quam homo superbia incumuit atque eo ipso è sublimi loco in extremam miseriam prolapsus est: ita Filius Dei verus animarum medicus humilitatem vbique amplexus est, & docuit amplectendam. Hoc ideo dictum sit, vt non contemnenda aut negligenda putemus dicta Seruatoris nostri, quæ mundi iudicio

judicio simplicia & abiecta videntur, sed eo magis suspicienda ac veneranda. Ad ipsum Euangelium progrediamur.

Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.

Ostium est Christus: ouile ouium, Ecclesia. Primo hic sciendum est Euangelium hoc commodissime praelatis ac pastoribus Ecclesie accommodari: at qui non impedit etiam nonnulla de alijs accipi. In Ecclesiam intrant, vel potius intrare se putant haeretici, falsorum dogmatum architecti, haeresum fabricatores: sed non intrant per ostium. Quare? Quia superbi sunt, & Christi humilitatem sectari nolunt. Quid est enim aliud per ostium ingredi, nisi ita ambulare ut Christus ambulauit, & eius mores ac virtutes in se exprimere? Quid autem ab ipso natiuitatis exordio intantum Christus coluit, atque humilitatem? Quid verò tam humilitati inimicum atque contrarium, ut haeticorum peruicacia? qui suum iudicium Ecclesie totius auctoritati & sententiae praeferunt, & tanquam nesciant se homines esse, qui facile errare ac labi possunt, omnia sua mordicus tuentur, & impudentissima temeritate ridet Ecclesie decreta, ac definitiones, patrumque sanctissimorum diuinae reijciunt, & sibi solis volunt fidem adhiberi. Sed non intrant per ostium. Non sic didicerunt à Christo, qui fuit mitis & humilis corde: qui non est dissensionis Deus, sed pacis. Si autem non intrant per ostium ergo aliunde ascendunt. Quid est aliunde ascendere, nisi relicta Christi humilitate, per mentis fastum, elationem ac tumorem in sublime contendere? Vide quam nihil sit ociosum in sermonibus Dei.

Ascendit, inquit aliunde, Non enim vult haeticus placida humilitatis via ingredi, sed tanquam sit ipse ceteris excellentior, fertur in sublime, non sane ob aliud, nisi ut summa cum ignominia ruat in profundum. O haeticus, cecum hominum genus, quos noua dogmata proferre iuuat, cur non per humile ostium ingredimini potius, quam per inaccessa montium praecipua iam iamq; ruituri inceditis? Sed quales tandem sunt, qui relicto ostio, aliunde ascendunt? scilicet fures & latrones. O nimis veram sententiam. Fures sunt doctores haeretici, quia Christi gloriam sibi vsurpant: latrones, quia oues Christi iugulant: fures impudentissimi, latrones sceleratissimi. Si illi, qui argentum, aut vestes, aut quippiam eiusmodi clam subducunt, in crucem aguntur: & si illi, qui corpus quandoque tamen moriturum occidunt, durissimis torquentur supplicijs, cui tandem poenarum generi subdendi sunt, qui animas, quarum precium sanguis Christi est, precium vti que inestimabile suffragantur & perimunt? Illi etiam qui non recto ordine vocati à Deo ut Aaron, sed aut dolo & calliditate, vel ambitione sua, aut deterrimo Simoniae vitio, aut alijs quibusdam iniquis machinamentis, ad honores & dignitates, ac functiones Ecclesiasticas irrepunt vel etiã irrupunt, non sanè intrant per ostium, nec prodesse, cupiunt, sed praesse, Christi que regem miserè negligunt, perdunt, excoriãt, trucidant, ut rectè meritoque fures & latrones vocentur: quos certè manet horrendum Dei iudicium.

Haeticos non intrare per ostium in Ecclesiam.

Intrate per ostium quid sit.

Matth. 11. 2. Corin. 14.

Ascendere aliunde quid sit.

Fures & latrones qui dicantur haetici.

Hebr. 5.

Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.

Quod potest paucis sic exponi: Qui per omnia studet sese conformare ad

bbb 4 exem

exempla Saluatoris, qui est ostium, ille pastor est ouium: quia tales plerumque à Deo vocantur ad publicas functiones, ut pascant gregem Dei verbo, exemplo, auxilio, consilio, & precibus ad Deum. Itemque qui recto ordine & ita ut oportet ad dignitates pertingit, non ipse se impudenter ingerens, sed diuinitus electus & vocatus, legitimus est pastor ouium, facitque quæ decet bonum pastorem, non suis lucris aut voluptatibus inhiās, sed animas subditorum sollicitè custodiens. Quanquam & quod dicitur: Qui intrat per ostium, pastor est ouium, potest ad vniuersam Ecclesiam vnitatem referri, quæ quotidie pascit verbo & exemplo. Non enim omnes per ostium ingredientes pastores sunt: siquidem & oues intrant: sed quod singulis separatim non potest tribui, conuenit iisdem ob totius corporis mystici vnitatem.

Huic ostiarius aperit.

Id est, Eiusmodi verò ac legitimo pastori ostiarius, hoc est, Spiritus sanctus aperit scripturæ mysteria, ut habeat, quod suis eructet ouib'. Qui enim autore Spiritu sancto ad alios regendos promouentur, etiam eodem Spiritu doctore discunt, quæ ad subditorum salutem pertineant: nec tamen propterea ipsi debent scripturarum studia negligere, sed sancti Spiritus gratia cooperari, ut maiora dona consequantur. Facile autem ab errore tutus manet, cuius doctor est Spiritus sanctus: sicut ediuerso non possunt non erroribus infici, quibus ostiarius iste non subministrat intelligentiæ donum. Propterea rectè Propheta ait: *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Væ autem illis, qui ipsi sibi magistri sunt.*

Et oues vocem eius audiunt.

Nam ubi cernunt homines pijs pastorem suum rectè viuere, libenter obtemperant dictis illius. Non enim est difficilis in subditis, qui tamen oues sint, obtemperandi voluntas, si sit in pastore vita inculcata & integra. Verè etiam si secus eueniat, ut sit pastor vitæ perditæ & iniquæ, ac nihilominus debent subditi illius dictis, nisi diuinæ legi repugnent, obtemperare, ne dum illum contemnunt, contemptus iste in Christum redundet, qui suis vicarijs ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.*

Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.

Hæc ut de quolibet bono pastore possint intelligi, non est videre difficile. Nobis iam visum est ad Christum ea accommodare. Qui nimirum proprias oues vocat nominatim: quia nouit Dominus qui sunt eius: & electorum omnium nomina habet scripta in libro suo. Vocat autem eas per gratiam, & educit eas ex tenebris ignorantie & viciorum, ut cognoscant ipsum verum Deum. Et cum eas ita emiserit, ante eas vadit, suis exemplis eis vitæ itinera commonstrans. Primo enim vocantur homines ad fidem, deinde mouentur oculos intendere in ducem & pastorem suum, & eius vitam moreque contemplari. Tum verò, si sint de numero ouium, sequuntur Christum pastorem, eiusque vestigijs inhærent: quia sciunt vocem eius, quæ semper ad pietatem

Pastor ouium
quando quis
rite dicatur.

Ostiarius
qui dicatur
Spiritus sanctus.

Psal. 91.

Pastorū vita
inculcata
quantū proficiat
subditis

Luce 10.

Oues suas
quoniam vocat
Christus
nominatim.
2. Timo. 2.
Math. 5. 10.
Ioan. 17.

Vox veri
pastoris quæ
doceat.

pietatem, ad iustitiam, ad innocentiam, ad veritatem hortatur, semper à vitijs reuocat, ad virtutes inuitat, docet mundi vanitatem despiciere, vitam æternam inquirere. Alienum autem non sequuntur, id est, eos omnes qui aliud docent, quam Christus, quales sunt hæretici, dæmones & flagitiosi homines, non sequuntur, nec eorum improbis consilijs morem gerunt, neque facta imitantur, sed fugiunt ab eis tanquam ab hostibus extrinsecis: quia non nouerunt vocem alienorum. Vtinam Christiani nostrorum temporū fugerent voces alienorum. Volunt audire quæ carni blandiuntur, & interim perdunt animas suas, verborum lenocinijs ac dogmatum peregrinorum præstigijs irretiti. Qui si fugerent alienos, felices forent. Hæretici omnes alieni sunt: quotquot eos audiunt, non sunt oues Christi, nisi resipiscant. Christi vox est: *Contendite intrare per portam angustam Et: Poenitentiam agite.* Alienorum vox est: Christus pro nobis satisfecit: Poenitentia nostra superuacanea est, & gratia inimica. Oues Christi priorem vocem audiunt, posteriolem fugiunt & execrantur.

Alieni vt hic
vocentur om-
nes hæretici.
Matth. 7.
Lucæ 13.
Matth. 3. 4.

Hoc prouerbum dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis.

Pharisæis superbis Dñs parabolicè locutus est, pstringens eorū ambitionem & superbiam: sed illi nimium excæcati, mentem verborum eius non sunt assecuti. Qui enim verba cælestia caperent homines terræ affixi, & nihil nisi terrena aucupantes? Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Voluit autem Dominus hac parabola id significare, Pharisæos non esse veros doctores & pastores, sed duces cæcos: qui etsi quosdam seducerent, tamen electos eorum fraudes euadere, & Christi potius, quam ipsorum tanquam alienorum vocem audire. Sic hodiequæ hæretici omnes duces cæci sunt: etsi videantur multos in suam sententiam pertrahere, tamen oues non seducunt, nec rapiunt eas de manibus Christi. Sui similes euertere possunt: electos Dominus perire non sinet, id est, eos qui bona sunt præditi voluntate, & faciunt quod in ipsis est.

1. Cor. 2.

Duces cæci
sunt omnes
hæretici.

Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis. Quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones. Sed non audierunt eos oues.

Hic ipse Dominus verba sua explicat, si vel sic possint lumen recipere mentes occæcatæ. Se ipsum ergo ostium ouium dicit, per quod scilicet ingredi necesse est tum oues omnes, si velint esse membra Christi: tum pastores ipsos, si iure & ordine suo velint munere perfungi. Pulchrè autem Dominus fideles suos ouium nomine appellat, hoc ipso significans debere eos ouium innocentiam, mansuetudinem, simplicitatem, obedientiam, cæteraquæ ex natura illis insita bona imitari. Non se Dominus luporum, non canum, non leonum, non porcorum ostium vocat, sed ouium. Non ergo poterunt per ostium ingredi rapaces, gulosi, inuidi, superbi, luxuriosi, atque id genus alijs vitijs dediti, sed oues, id est, qui studeant adipisci ex gratia, quod ouibus natura dedit. Alij omnes, qui iam non ouium, sed ferarum naturam imitari malunt, illius membra sunt, & cum illo ruent præcipites in tartara, qui

Oues cur vo-
centur sic
fideles.

Mal. 90. 103.
Apocal. 12. 17.

Micr. 23.

Oves quæ
quorum non
audiat vocē

7. Tim. 7.
Lectio libro-
rum ab here-
ticis scripto-
rum quæ sit
periculosa.

Ostium bis
cur se Chri-
stus appellat.

Omnium Christi
studia ut sunt
diversa.

Opera piete-
tis ut anima
nutriat &
impingent.

ra, qui in scripturis sacris, modo draco, modo leo, modo basiliscus, fregit alijs atque alijs bestiarum nominibus appellatur. Quod verò iam solum dicit Dominus. Omnes quocumque venerunt, fures sunt & latrones, intelligendum est de illis, quos non misit Spiritus Christi, sed qui ipsi sua temeritate venerunt, quales fuerunt multi pseudoprophetae, de quibus Dominus ait: *Ipsi cecidit, & ego non misi eos.* Ad quorum numerum etiam pertinent heretici omnes, & quotquot ad alios regendos non à Deo mittuntur, sed ipsi per fas & nefas sese ingerunt. Tales omnes fures sunt & latrones: quia vident sibi quod ipsorum non est, & animas occidunt. Veruntamen Dominus semper suos servat, sicque fit ut eiusmodi pestilentes homines non audiant oves, nec eorum dictis fidem accommodent. Quod quidem sæpe vix quotidiano discimus: quando plerique simplices ac boni homines etiam in media hæreticorum frequentia ætatem omnem transigentes tamen non capiuntur erroribus illorum. Multi autem ea potissimum ex causa percutiunt, ut illaqueantur ab hæreticis, quod nolunt eorum consortia fugere, sed tanquam nihil ea res periculi habeat, cum sit longè periculosissimum, intrepidè eorum conciones auscultant, libros lætitant, & familiari consuetudine vivunt. Porro, oves Christi talium luporum moribus non infestantur, quia non audire illos volunt, memores illius apostolici. Sermo hæreticorum ut canis serpit. Et quamvis Ecclesia sub anathematis pœna severissimè Christi-anis omnibus interdixerit lætionem librorum ab hæreticis conscriptorum, tamen passim omnes eos lætitant, atque interim Deo permittente ob suam inobedientiam & temeritatem capiuntur ac irreciuntur & perunt.

Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.

Bis se Dominus ostium vocat, scilicet propter pastores, & oves. Non enim est pastor legitimus, qui per Christum non ingreditur. Nec est ovis Christi, qui alia, quam per Christum ingreditur. Quisquis autem per Christum introierit, ambulando sicut ille ambulavit, saluus erit hic per gratiam, post in gloria sempiterna. Per Christum enim tanquam ostium & viam certissimam non solum in præsentem ad fidem & gratiam, sed etiam in futuro ad beatitudinem & gloriam intramus. Sunt autem non eadem studia vel exercitia eorum, qui per Christum intrando salvantur. Alij enim circa actionem, alij quamvis pauci circa contemplationem versantur, alij licet paucissimi simul & actioni & contemplationi sese accommodare norunt. Sed quocumque in genere Christianus versetur, siue ingrediarit ad contemplanda divina, quod est quædam futura vitæ inchoatio, siue egrediarit ad officia charitatis, pietatis & misericordie exequenda, vitæque pascua inveniet, quibus anima eius multo melius, quam caro efficit corporalibus, reficietur ac impinguabitur. Habet enim omnis pia actio, si sit cum charitate coniuncta, vim quandam animum nutriendi ac vegetandi & corroborandi, ut merito debeat semper solliciti esse ad bona opera exequenda: quæ quanto plura fecerimus ob Christi & proximi amorem, tanto spiritus noster magis pinguescet & confirmabitur. Habet etiam ex lætissimâ contemplatione suam alendi & impinguandi mirabilem efficaciam, quæ non

ma adeo fit fortis & alacris, ut quicquid mundus hic habet, præ caelestis vitae dulcedine prorsus illi amarescat. Ita ergo utrobique fideles & in actione, & contemplatione vitae studijs pascha vberissima reperiunt. Qui autem hic neque recte factis siue bonis operibus, neque diuinorum contemplationi ullam nauant operam, miserè marcescunt, atque ubi ventum erit ad vitam terminum, omni succo supernae gratiae destituti, ad aeternam regestantem & inediam deuoluentur, semper cum dæmonibus fame intolerabili cruciandi.

pascha ubi nam fideles reuera inueniant.

Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Quisquis non Dei, sed suam gloriam quærit, fur est, non pastor verus. Talis ergo non potest animarum lucra cogitare, sed tantum studere rebus & commodis suis. Interim oves miserè euerit & perdit, & mactat: nec ea res illi curæ est, quia Deum non timet, nec vult præstare quæ bonum pastorem decent, sed ducit iucundos dies, suisque & verbis & exemplis in exitum mortis aeternae pertrahit subditos suos. Hoc manifestum est in hæreticis, quorum Deus venter est, qui semper ollas carniū suspirant, nec sua perditione contenti, etiam alios quoscumque possunt suis laqueis innectunt. Christus verò qui pastor est verus, ea causa venit in hunc mundum, ut homines à morte peccati, & diaboli tyrannide eruti, vitam habeant gratiæ in hoc seculo, & abundantius habeant vitam gratiæ consummatæ, id est, gloriæ in cælis. Ita è diametro pugnant hæretici & mali pastores cum Christo: quando illi perdere duntaxat & mactare, Christus seruare & vitam præstare exoptat. Et tamen ubi Christo vix paucissimi obtemperant, eo quod aduersus carnem militet doctrina illius, hæretici innumeros habent sectatores & asseclas, quia carni plausibilia docent. Atqui exitus probabit, utri rectius docuerint & fecerint.

Talis animarum studia quænam sint.

Philipp. 3. Exod. 16.

SERMO IN EADEM SOLENNITATE.

De gratia Dei, an sit homini necessaria. Quid conferat homini, atque id genus alijs scito iucundis.

Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Ioan. X. Nolite charissimi, ut ante natum Saluatorem mors totum pene hominum genus occuparet, mors scilicet culpæ, & quæ hanc sequitur mors aeternæ damnationis. Sed Dominus Iesus humanæ calamitatis misertus, venit ad homines, ut vitam habeant gratiæ, qua culpæ mors profligetur, & abundantius habeant vitam gloriæ, quæ nullam timeat damnationem. Et quia nunc solennitatem sancti Spiritus, qui est totius gratiæ fons, qui hodierna die cum magna gratiæ abundantia venit in Apostolos, atque etiâ quotidie in omnes sui capaces venire paratus est ad illuminandam cæcitatem nostram, ad corroborandam infirmitatem nostram, & ad inflammandum teporè nostrum liber hac vice de gratia loqui in auribus vestris, si tamen ipsa grata nobis non desit, sine qua nihil possumus, quia, ut dicit Apostolus, *Nemo potest dicere Dominus Iesu, nisi in Spiritu sancto.* Occurrit autem primo hoc

Act. 1.

1. Cor. 12.